Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2983

Quelle:
Copyright:

6. *Carta quam quis pro ſe. uel filio ſuo. ſeu etiam filia facere debet ad monaſteria. uel ad titulos epiſcopales.* Id eſt Bona tradendo. Initium: *Ego N. cogitans pro remedio animæ meæ. Nec non euangelica & apoſtolica perfectione* &c. Mentio eſt *Tituli Baſilienſis.* Finis: *nulla mihi poteſtate de prioribus facultatibus remanente.*

7. *Vel ita.* Similis Traditio. Initium: *Ego ille trado VI. bobas. uel duas. uel illam baſilicam. ad monaſterium ſ. petri. uel ad eccleſiam ambianenſem* &c. Finis: *Sig. N. qui hanc traditionem patrauit. et aliorum teſtium quorum haec ſunt uocabula.* Addit Formuliſta: *Scribe minimum V. et inde usque ad XXX.* (teſtes) *uel quotum uolueris numerum. Ego itaque ille. uice illius ſcripſi et ſubſcripſi. Notaui diem V. fer. IIII. kl. apr. Annum XXXI. regnum Hl. iunioris. ſub illo comite. uel quoquo.*

8. *Precaria.* Seu Charta Emphyteutica, qua quis ab Eccleſia ſeu Coenobio Bona ſub cenſu recipit ad dies vitae, vel ad placitum. Initium: *Chriſti largiente clementia. illud monaſterium ſanctae mariae. uel ille epiſcopus. præſul eccleſiæ conſtantienſis. Complacuit mihi cum conſenſu fratrum* &c. Finis: *Sig. grimaldi abbatis et aduocati eius N. Sig. decani. cuſtodis eccleſiae. nomen præpoſiti boſp. cell. cam. et aliorum teſtium. Scribe V. et deinde quantoscumque. Ego itaque. Ut ſupra.* Additur minio: *Carta pro filiis præcariam non deſiderat ſed tantum repetitionem ſi ita contigerit. Grimaldus* ſub *Ludovico* R. Sancto *Gallo* praefuit. Vide *Jod. Metzleri L. II. de Viris Ill. Sancti Gall.* c. 12. In *Pezii Theſ. Anecd.* T. I. P. 3. p. 599.

9. *Item karta illius qui in bellum profecturus. uel ubicumque. matrem cum uxore. cum filio. uel filia paruula reliquerit. et hereditatem ſuam omnibus cognatis ſuis acclinem et redemtibilem ad monaſterium delegauerit. Acclinem*, quaſi dicas depoſitam, obnoxiam, dependentem. Initium: *Ego N. incertitudinem huius uitæ perpendens. trado ad monaſterium ſancti galli* &c. Longam Heredum ſubſtitutionem haec Formula exhibet. Finis: *Si quis igitur contra. et rel. ut ſupra.*

10. *Precaria.* Initium: *Chriſti fauente clementia. ille abba monaſterii cujuscumque. Conplacuit mihi cum conſenſu fratrum. et manu aduocati mei N.* &c. Finis: *nulla ſecum in eisdem rebus communione conceſſa. et rel. ut ſupra.*

11. *Notitia diuiſionis poſſeſſionum regalium. uel popularium. epiſcopalium. uel monaſterialium.* Initium: *Notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris. quod propter diuturniſſimas lites reprimendas. et perpetuam pacem conſeruandam. Factus eſt conuentus principum et uulgarium* &c. De Limitum definitione agitur. Finis: *Ego itaque N. ſcripſi et ſubſcripſi. Notaui diem V. feriam IIII. kl. apr. Annum XXII. regni hl. regis germanici. Sub illo comite.* Additum minio: *Hæc carta ſibi reſpondentem non querit.*

12.